Gonzaga
Regina

Bieżanowski Stanislai Jos: Mausoleum Reginale —

MAVSOLEVM REGINALE,

AVGVSTISSIMO NOMINI,

Æternumq; Victuræ Memoriæ,

Serenissimæ olim, & Potentissimæ Principis, Ac Dominæ

LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ,

Poloniarum, & Sueciæ REGINÆ,

Magnæ Ducis Lituaniæ,

Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ,

Czerniehoviæ, &c. &c. Civiæ Nivernıæque DVCIS,

PRINCIPIS Mantuæ, & Montisferrati,

Ad Augusti funeris,

In Vrbe Regni Primaria,

Posthumum mœroris publici Obsequium,

Per

M. STANISLAVM JOSEPHVM BIEZANOWSKI, Leop.

In Alma Academia Cracoviensi Collegam Minorem Ordinarium Poëseos Professorem,

Dolenti affectu,


ERECTVM.

Anno salutis, 1667. die 22. Septembris,

CRACOVIÆ

Typis Stanislai Piotrkowczyk, S.R.M. Typographi.

IN
GENTILITIVM INSIGNE, ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI, PRÆSVLIS.



Aureus eſt PRÆSVLI, geminâ qui Falce coruſcat:
Hæc acies quàmvis terreat, ipſe favet.
Sacrilegos contra, ferrum diſtringit, & vrget;
Proque Crucis ſigno, Falcis acumen habet:
Non tamen hâc acie, volvit metuendus haberi;
Expandit quoties, corda paterna, bonis.
Aurea vis tibi ſit, tanto de pectore, meſsis
Tam bonus; ut Falces, præbeat ipſe ſuas.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREÆ DE OLSZOWA OLSZOWSKI,

DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CVLMENSI, ET POMESANIÆ,

Regni Poloniæ

PROCANCELLARIO,

Domino & Patrono amplisſimo,

S. & P.

AD opera Maieſtatis publici obſequii neceſsitate vocatus; quæ in auguſta magnæ molis ſtructura, rudi, & imperfecto conatu; extrema non niſi, immortalium operum, lineamenta ducens, attentavi: ne in Orbis faciem productum, minores curas, maximo lucis publicæ iudicio abſorbeat; amplisſimo nomini Tuo, dedicatum eo, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. Iuſta nimirum formido eſt; vbi Prærogatiuæ Operis maxima, ingenium fatigat potiùs; quàm attollit: nec facilè, excuſationem apud poſteros inueniunt; qui immodico, non æſtimati oneris auſu, ſuccubuêre labores: cùm iuſtum omninò ſit; vt vires, ſuas ſcrupuloſiùs ingenia examinent; quoties aliquid, in eorum laudibus; qui Diuinitatis vices, in terris gerunt, æternitati moliuntur. Et hæc quidẽ cenſura, animo ſæpiùs obiecta; victuras in ſepulchrali opere cogitationes propè excuſſerat; niſi validior longè, debitæ in SERENISSIMAM REGINAM pietatis, dignaq; literato pectore neceſſitas; reuerentiã lucis publicæ, maiori reuerentiâ victam, procùl ancipiti mente exegiſſet. Quanquam ſubuerebar etiam, cùm hæc ad Te deferre; amplisſimoquè nomine Tuo inſignire, cogitarem; apud quem, exactisſima re-

sima rerum huiusmodi censura, quinimò Oraculũ est: vniusq; lucidissimæ mentis Tuæ oculus totius instar lucis publicæ, mihi visus; ipsas etiam, non frustra metuentis animi medullas, perstringebat: malui tamen, ab hac luce, confundi etiã absorberiquè, quam depositum hoc, immortalis gloriæ, literato opere elaboratum; non in eo sinu deponere; in quo, quidquid uspiam Musarum deliciis, eruditoquè censu summum; magno sapientiæ proventu, depositum est. Hic enimuero ille, sapientissimi pectoris Tui, sinus est; in quo, magna rerum humanarum Antistes sapientia, Sacrarium quoddam sibi condidit; eo quidem omnigenæ eruditionis apparatu: vt nisi hîc literæ, consumato splendore fulgeant; nullibi eas, mentium lumen esse, necesse sit. Quantus enim ille, è limpido pectoris fonte prorumpens, nitidissimi calami Tui radius; quo nubem illam transmarinam; dolosam sanè, Orbisque fuco inventam; non perstrinxisti tantum; sed, quàm in speciem non nisi, obtentui habita sit ostendisti: viscera Patriæ, ementito prætextu, styloque, lacerari iam tum non sustinens, cuius deinceps os aureum; quinimo cor, & anima fieres. Hâc animi magnitudine, Augustissima Domus Austriaca, Regiæ Maiestatis Polonæ, vivam in te Máiestatem suspexit. Cùm legatione publicâ, eximia cum laude functus; eum Te, singulari prudentiâ, authoritate, eloquentiâ, agendiquè dexteritate, in summa Imperii luce exhibuisti; quem Te, & Regum Poloniæ Maiestas, & Reipublicæ dignitas, magnâ de Te expectatione conceptâ, prout esse censuit; ita & insigni didicit experimento. Expetiere deinceps, pectus hoc bono Patriæ Publico natum, maiora Reip. negotia: aureoque Capiti, Tiaræ Pontificiæ splendor circumdatus: Sacrarium animi Tui, in quo salus Reipub. conquiesceret, altioribus veluti curis dedicavit donec tandem ex voto publico sensuque ea Te, summi honoris prærogativa deposceret; quam Procancellariatu Regni, honorificentissimè ad Te delato, Vniversa Respub. Tibi est gratulata. Eam quippè animi integritatẽ, sapientiam, dexteritatem, magnitudinem, elegantiam; eam Oris eloquentissimi gravitatem, dulcedinem, copiam; eam tractandorum animorum peritiam & suavitatem, Personæquè publicæ magnificentiam; ad præcipuum hoc in Repub. munus attulisti: vt hoc unum, summa in Te Virtutis, & excellentis naturæ consensio, egisse videatur; vt vel ex Te solo, priscam aurei ævi, summorum virorum gloriam, sæculo nostro, non ampliùs desideremus. Tantam itaquè æternæ molis seriem; apud tam eminentem; immortaliumquè operum, maximum ex seipso æstimatorem, animum Tuum deponere; convenientissimum censui; idquè eò libentiùs; quod Academiæ nostræ, id quoquè votum sit; vt ingenia quæ bono publico fovet; quidquid in literis possunt; honori Tuo, magnoquè in se affectui impendant. Dabis etiam id, peculiari apud me, amplissimi nominis Tui Venerationi; quem incredibili humanitate Tua, iam olim prævenisti; quandoquidem auspicatissimum mihi Patrocinium Tuum, nova veluti exanimati propè operis, anima est: quod non indignum vtiquè, victuri nominis privilegio, ætas posterior censebit; cui Tu, magno illo; quo Reipubl. animam foves, sapientissimi pectoris tui spiritu; Vitam, quâ literæ vivunt, inspirasti. Eant interim aurea Tibi sæcula; honorumquè incrementis ad summam gloriam deducta; felicitatemquè hanc Reipublicæ superi boni, diuturnam esse velint, quam sibi ex Te in hoc amplissimo munere constituto, accessisse gratulatur. Vt quod in exemplum, omni ætati, exactissimâ Virtutum & meritorum tuorum amussi formas: pari deinceps scribentium curâ, ad posteros transmissum, immortali Tecum Gloria perennet.

Illustrissimæ, & Reverendissimæ
Celsitudini Tuæ,

Cliens deditissimus

M. Stanislaus Iosephus Biezánovvski,
Philos: Doctor, Collega Minor,
Ord: Poëseos Professor.

MAVSOLEI REGINALIS APPARATVS.

Baſilicum opus, inter lachrymas moliri;
Intempeſtiuum fortè, molis æternæ, conſilium eſt.
Manus quippè dolentium incompoſita;
Nihil magis affabrè, quàm quod ſinè arte digeſsit, factum exiſtimat:
Ceu delicatus dolor ſit; cui reſtat aliquid, ad cultum;
Quo ſe, in ſquallore componat.
Negotium Mortis, omnium maximè ſerium;
Quam in vita confudit; nec in affectu, ordinat ſeriem.
Ab hoc opifice, quidquid venerit;
Meditatum ne dixeris.
Mentem, quam non audit, præuolat; blanditurq; ſibi in opere;
Quod non abſoluit; ſed extrudit.
Quis hunc,
Ad Maieſtatis opera, tumultuariũ Steropem vocet?
Cui Vulcaniam fulminum officinam, ſecuriùs credideris:
Nam in dolentium quoq; pectoribus, incudes ſuas habet.
Sed eheu!
Etiam ab hac informi manu, validis ad æterna formari ictibus,
Humanæ Conditionis neceſsitas eſt.
Neminem hic Celſitudo ſua eripit;
Neminem abiectio tegit.
Prodit nos, vel ipſa, cui conſultò indormimus;
Mortalitatis noſtræ obliuio:
Læſæque Maieſtatis nec, quicquam hic arguitur;
Cui tantum, in Regum quoq; faſtigia, licet.
Aſſurgat igitur,
Etiam ſub ferali, publici doloris Magiſterio,
Sereniſsimæ olim, & Potentiſsimæ Principi
ac Dominæ,

LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ,

Poloniarum, & Sueciæ Reginæ, &c &c.

Mauſoleum Reginale;

Quandoquidem, Orbis etiam miracula, ex tumulis aſſurrexiſſe,

Miraculum non eſt.

Vitæ nimirum humanæ, manum de tabula tollit;
Sed non reſoluit ab opere Mors;
In momentis vitæ ſcrupuloſa, prodiga in monumentis.
Curas hominū abſoluiſſe viſa, tantò magis intendit;
Dum ſepulchrales vrnas auguſtiùs,quàm viuentiū habitaculum formās;
Negotia vitæ,inter ſepulchrorum Curas ſepelit.
Quis putaſſet,
Tanto mortaliū genus, tyrannidem mortis, prorogare impendio?
Cui Trophæa in monumentis erigit.
Damnatos ad Latumias putes;
Ita paſsim viſcera terræ ſubeunt;
Dum marmora, quæ in ſepulchrorum molem aſſurgant,
Dimidio vitæ ſepulti, ſcrutantur.
Amariſsimo tamen operi,
Vnicum amoris condimentum eſt.
Ergaſtula hæc, quod in ſeptizonia aſſurgant;
Ab hoc affectuum Principe venit.
Architectus hic,
Cum in opere, ad ſtuporem vſque ſatagit;
Inter curas,nunquam anxius; inter impenſas,nunquam calculator;
Ingenioſiſsimus aliàs,ad rationes ponendas, ingenio hebes;
Vt diſpendia non ſentiat; dormitat conſulto.
Ingenium tamen in Artemiſia,ſexumque vicit;
Dum à luxu ſepulchrali, in ipſo ambitioſiſsimi operis luxu,
Orbis iudicio abſolutus; in Orbis miraculum ceſſit.

Felix

Felix opus,
Quod ab affectato, oſtentationis vitio, excuſauit,
Verus in poſthumo Cenſu affectus:
Felicius Mauſoli nomen,
Quod nunquã tãto in Orbis lucẽ, prodijſſet miraculo;
Mortis niſi defeciſſet in Vmbram.
Operum ergo miracula,
Ipſe, qui fecit, miraculis omnibus potior, cum excuſet amor;
Quantum in officina doloris poſſit, etiam inter Sarmatas probet;
Rigida quidem nobis plaga cœli;
Sed funeſtam animo non dedit plagam.
Supra ſuum ille, in Clementis Cæli genium,
Fingi, refingique facilis; fallere tamen neſcius;
Decipi alienâ fraude poteſt; non corrumpi.
Rigor Sarmaticus,
Cum in natiuum gelu interdum deſinat;
Nondum tamen diriguit in Saxum.
Vnicus hîc beneuolæ Maieſtatis radius, plus in hâc glacie poteſt;
Quam totus alibi, cereis in mentibus Phœbus.
Mirus hîc certe artifex, Principum amor;
Stylo ferreo nũquã vſus; Diuina, reuerẽtiæ Maieſtatis, ſculpſit opera;
Formauitque Viuum obſequij, in libertate ſimulachrum;
Cui ſimiles alibi, longa ſeruitus, ne rudes quidem lineas duxit.
Ab hac manu, menteque,
In qua operum tuorum miracula, ad Orbis gloriam,
Sine ferro, manuque, animi ductu Validior abſoluiſti;
Immortale Tibi, mortalibus erepta,
Pia, Clemens, Auguſta,
Heroinarum Regina, Reginarum Heroina,
Sereniſsima Ludouica,
Mauſoleum aſſurgit.
Parij quidem lapidis,

Exoticique Marmoris pretiosos errores;
Et quidquid in ijs, vel hoc ipso carius est; quod incerto Venarū discursu,
Negligentiùs cæteris natura reliquit;
Vt in opus hoc, Lapithæ, Centimanique deuoluant;
Terræ Viscera, non euisceramus.
Alia nobis Viscera, lapidicinæ aliæ;
Exquibus Posthuma, Augustæ Maiestatis decora,
Lachrymis excidimus.
Nemo procellam hanc, ex liquido suo, quo fertur, parui æstimet;
Excidunt quidem lachrymæ mœrentibus; non tamen sine vestigio;
dum exprimuntur, vt imprimant.
Malleolum hunc, tota vis cordis, guttatim vibrat;
agitque eò potentiùs, quò occultiùs.
A tanti roboris ictu, animi quoque dissiliunt;
quorum pertinacia, rupibus interdū maior, solidiorq́;
Lachryma oculi, vulnus cordis;
quidni dolore marmoribus incidat? quando pectorū adamantes dissoluit.
Allaboret ergo, magnæ huic compagi,
Valida communiū lachrymarū machina, tanto Poloniæ luctu euibrata.
Metalla, quæ in opus hoc componat;
cum ex publico veniant; imis terræ visceribus, natura non absorpsit.
Lapidum genus nullum pretiosiùs;
quàm quod, ex solida, confirmatæ gloriæ compage, venit.
Chiumne illud, an Numidicum sit? Memphitem, an Porphyritem,
maculis referat?
Vanæ pruritu mentis, non inquirimus.
Habeat sibi crustatas marmorum delicias,
Euanida, sub infelici crusta, mortalium felicitas.
Immortalia animorum opera,
aliunde coaceruantur; vt æternum assurgant.
Gentium damnis, funeribusque, apparatus hic, non constat;
nec gemet hic, sub portentosa mole oceanus;
Peregrinos lapidum montes, vt in orbis miracula coalescant;
innatare sibi, tota nauium classe, obstupescens.
Absoluit hac cura Poloniam,
quæ posthuma, monumenti sui decora, viuens adhuc absoluit;
Sola ad

Sola, ad operis ſui maieſtatem ſufficiens,
Reginalis Poloniæ, Sueciæq́; Maieſtas:
Cui,
dum ad Orbis plagas omnes, cœlatam monumenti faciẽ, erigimus;
Vniuerſam orbis, ſæculorumque conuenimus faciem;
Vt magnificentiam operis, non ex ingenio laborantium æſtimet;
quod poſtquam curas omnes excesserit;
ingenti tandem conatu, hæſitat ad opera
Maieſtatis.
Non hîc
Scopas, aut Leochares Briaxiſue, & Thimotheus,
Vt orbis miraculum, in Mauſoleo elaborent;
rerum naturam, in elaboratiſsimo artis opere, mirari ſeipsã facient.
Certamen hoc, pro artis Victoria,
Auguſtiſsimo
Sanguinis, fortunæ, Virtutis, & gloriæ
apparatu,
ipſa operis ſui amuſsis, certaminis meta, Victoriæ palma, coronaq́;
vincet
L V D O V I C A.
MAVSOLEI
R E G I N A L I S
Auguſti Sanguinis, cælatura inſignis,
Oriens.
Lachrymas dolentium, non impedio; ſed ſiſto;
dum ad contemplandam, auguſtæ molis faciem, tantiſper reuoco.
Ad Orbis oculum, nunc loquimur;
quem proinde terſiſsimum Volumus; vt agnoſcat; cui lachrymas,
& quàm iuſtè impendit.

Quod ſi,
ex alta mœrentium nocte, lucis veſtigia, malè ſequimur;
Sudum interim, animorum pupilla habeat.
Auguſtiſsimo quippè Sanguini,
primus, qui in Mauſoleo cedit Oriens;
prouocat intuitum; dum in luce ponitur;
nec diſsimulat claritudinē operis; quam ex ſepulchrali vmbra vindicat.
Rerum quidem naturam,
Vnum hîc in opus, non agimus;
gentium tamen, terrarumq́ue, imperiorum, & regnorum,
tota in vno ſanguine maieſtas, cum hîc reſplendeat;
parum abeſt; ne in Oriente hoc, ex orbis vniuerſi, coronatâ luce veniēs,
Natalium ſplendor, totam gloriæ diem abſoluat.
Tantæ igitur Maieſtati,
Nubem ſuam, vt opponamus, neceſſe eſt;
ſub qua, extremas lineamentorum lucis, fimbrias radens;
non totum, magni ſanguinis ſplendorem, vibret.
Infirmitati certè humanæ conſultiſsimum;
cælare aliquid, ſubtiliſsimo cælaturæ artificio;
vt quod oculos effugit, mentem inueniat;
alioquin, quod in Hecatēs ſimulachro, obſeruatum olim;
in lucidiſsimo opere, vt ſibi parcant Poſterorū oculi, proclamandū eſſet.
Tanta nimirum auguſti ſanguinis,
ex eo, quidquid in orbe lucidiſsimum, radiatio eſt.
Quidni excellens ſenſibile ſit?
cuius natiuum iubar, niſi in eminentiſsimas Orientalis, Occidentaliſque imperij, diſpertitum coronas,
collectus Germaniæ, Galliæ, Italiæque, vna in Domo
non ſuſtinuiſſet obtutus.
Fuère,
qui dexterâ, leuâq; Orientē, Occidentēq;, complecti,
dum non humanâ potentiâ inſaniunt, voluère.
Ambitum hunc, quem non appetijt, impleuit,
antiquiſsima pariter, totoque Orbe clariſsima,
GONZAGARVM DOMVS.

Vtroque

Vtroque brachio,quidquid coronata gentium faſtigia
ſuſtentat, complexa.

Auream Orbis Chriſtiani catenam dixeris;
in qua perpetuo conſanguinitatis trahitur vinculo;
quidquid vaſtam imperiorum compagem tenet.

Vinculum hoc,

dum in mutua gentium fœdera coaleſcit;
in LVDOVICO GONZAGA, ex Germania, in Italiam traductum;
in Europæ delicio,animorum delicias,pretiumque virtutis dum inuenit;
magni ſanguinis nexum, à faſcijs natalium,
ad faſces vſque imperantium,protulit.

Ita expedit aliquando,

magno cuiq; nomini; quantum ad veram gloriam profecerit;
ibi potius experiri; vbi nihil illud,ex alieno circumfulget.
domi quidem,inuoluit nos plerumque ſplendor generis,eripitq; cenſuræ;
dum multa ex maiorum luce,etiam dormitantibus affingit.

Alibi Cæſarem, Achillemq;,ſua indoles prodit.

Summa hæc,Ludouico Gonzagæ illi;

qui Parſarini tyrannide, Mantuam dum liberat;
libertatis fructum, Mantuæ dominium accipit;
dignus vtiq; imperantium loco; qui ſeruitio locum non reliquerit.

Heroici animi Vir,

Domitor ſui, captivus tamen nunquam;
Pulcherrimum ratus, ſi aliena Vincula ſolueret;
Immortale opus dum exequitur, animorum Vincula meruit.

Felix Vtiq; Mantua;

Quæ Tarquinios Domi Superbos, cum protulerit;
Vindicem libertatis Brutum, aliunde recepit;
Vt ſuum redderet
perquem Monſtra hominũ, in excidiũ humanitatis nata,cum deleviſset;
Monſtrorum exinde Domitores progenuit.

Galeacius Gonzaga,Heroum Sangvis,

Cõtra immanes,publici mali hydras,novus Hercules,
Naſci iterum terræ filios, cœloq; minari non ſuſtinens;
Prævenit in Bucicaldo, Genuenſium mõſtroſæ magnitudinis Viro,

Singulari certamine victo;
Ne Syculas, frustra iterum Cyclopes officinas, magna vi, ad Iovis fulmina exercerent.
Strenuè hîc bono publico,
Alieno tamen sanguine litavit;
Augustior RVDOLPHI GONZAGÆ Victima;
Quia proprio sanguine purpurata;
Quando Legionum Venetarum, ad Tarum Ductor;
Ingentem animam, quo spiritu in aciem protulit; eodem fudit in enses;
Vt ostenderet,
Magnanimos Gonzagas, heroicis operibus scire Vincere,
Velleq; immori; pari apud se gloria censere.
Censuit hoc, probavitque;
LVDOVICVS GONZAGA, RODOMONTES Dictus,
Robore quidem Virium incomparabili; sed animo Valentior;
In Martis Victimam, robustissimâ indole veniens:
Ceu hoc ageret,
Vt cum nasci eum, ad Victorias, natura voluisset;
Occumbere quoque invicto animo,
Ex disciplina Virtutis, inter Victoriæ partes computans;
Illud potius elegerit;
Quod formidandum aliis; solos heroas, vt decet; ita efficit.
Ita Clementis VII. Pontificis Maximi,
Copiarum ad Varum Ductor, Martis censuram dum prouocat:
obviam in acie mortem, tam serenus; quam si inuitasset, excipit:
Robustissimus aliàs, in occasu seipso maior;
Quantum roboris, ad paludamentum animi transtulerit,
In mortis fimbria ostendit.
Tanti spiritûs, animiq; Heroas,
Cum immensa meritorum vestigia, ad coronidem usq; mortis facerent;
Honor quoque ut assequeretur, coronatis passibus processit.
IOANNEM FRANCISCVM GONZAGAM,
Eminentissima indole, cum in oculos, augustissimæ Imperatorum,
Maiestatis incurrisset;
Cum Virtutis coronamento assecutus;

Primùm

Primùm, à SIGISMVNDO Imperatore, Marchionem Mantuæ,
Renuntiari fecit.
Mox ad ſceptrorum vices admiſsi,
Sceptris quibusque, & faſcibus non impares,
Quam regium in FERDINANDO GONZAGA,
Prorege Siciliæ, Mediolanique Præſide,
Geſserint animum;
Digna, in CAROLI V. Imperatoris perſona,
Non perſonati muneris adminiſtratione, teſtati ſunt.
Itum, à Vicaria, Throni Regalis purpura,
ad Connubia Imperatorij ſanguinis purpurata:
Inſtructique inter Coronarum fulgura, radiantes thalami;
Ex quibus, Regum olim thalamis, digna ſoboles prodiret.
GVILELMVS GONZAGA,
Primus Montisferrati Dux, à MAXIMILIANO II. Imperatore,
conſtitutus;
Vt meruiſse, altiora honorum inſignia, probaretur;
Auguſti quoque ſanguinis, conſortium meruit;
Dum in Auguſtiſsima Domo,
LEONORAM Imperatoris Filiam,
Vitæ, thorique Conſortem accipiens;
tædis nuptialibus, immenſum gloriæ iubar accendit.
Maieſtatem Imperii, LEONORA cum intuliſset;
Non minorem, in GVILIELMI Virtute venerata,
Coniugali fortuna, gradum non mutavit; ſed tenuit.
Vetuſtiſsimi quippè ſplendoris, aucta in immenſum veſtigia,
Fortunæq; deinceps cuiuscunq; capaciſsima, invenerat;
Quibus olim,
FRIDERICVS III. Imperator, & Chriſtianus Daniæ Rex,
à LVDOVICO GONZAGA, Principum humaniſsimo,
Regio cultu, apparatuq; excepti;
cum dignam Imperatorum, regumq; conſortio Domum, iudicaſsent;
connubiali, iam tum, imperatorii ſanguinis vinculo, præluſêre.
Quidni verò,
Cæſareæ in ea purpuræ, ſplendor refulgeat?
D Ex qua

Ex qua,

FRANCISCVM, SIGISMVNDVM,

Pirrhum, Herculem, Ferdinandum, Eminentiſsimos S. R. E. Cardinales,

Pius II. Iulius II. Clemens VII. & alij Pontifices Maximi,

In purpurato Orbis terræ Senatu, ad ſacram Eccleſiæ Purpuram, ſublimârunt.

Quanta verò, Nominum hæc Maieſtas!

à tot purpuris, quantus Eloquentiæ rubor; tanta venerabundi ſilentii, neceſsitas eſt.

Divinum iſtud Pantheon,

Vna, cœlum versùs, admiſsio luminis illuſtrat; vna, & ſola capit.

Sacrum hîc, in Cruce GONZAGARVM purpurata,

Fidei Symbolum, cum ſit;

Quidni, ſuper tot, purpuratos Eccleſiæ cardines,

Inconcuſsa fidei moles, vertatur, conſiſtatq;?

Belli, Pacisque decora,

Tanto rerum geſtarum apparatu, à tot ſæculis, in tam Auguſta Domo, deponi quid miramur?

Si depoſitum Eccleſiæ, non alibi frequentius.

Imperatorum, Regumq; amores, & delicias, cur non meruiſset?

Si DEO, tam cordi eſt;

A quo, B. ALOISIVS GONZAGA, in delicium electus;

Non fruſtra hîc, prona inclinare omnia;

Cœlo etiam, partes ſuas, ſtrenuè promovente, oſtendit.

Terrarum hucuſq;, humanâ manu,

in magno ſangvine, cælaturam duximus;

Cœleſtem nunc, Angelicamq;, ALOISIVS poſcit.

Lachrymæ, Cupreſsiq;, tantiſper valete.

Gemmarum nunc, Vnionumq; procellâ; niueisq; liliorum nimbis, opus eſt;

dum ſpeculo innocentiæ, puritas ipſa, manum admovet.

At O!

AT O!

Divini Adolescentis, Angelicos vultus,
in sepulchrali opere, frustra cælaveris;
Viva puritatis, & Sanctimoniæ, non imago tantum; sed vita;
ipsas etiam, sepulchrales, Vmbras animabit.
ALOISIVS quippè,
Si nominis arcanum, anagrammatis oraculo scrutaris,
Via solis, est;
In qua, Zodiacus Vitæ, nihil mortale patitur.
Serenissima profectò GONZAGARVM Domus,
a tam lucida, in ALOISII Sanctitate, Divinissimi solis orbita;
Humanos splendores, in summo, cur non possideat?
quæ cœlestes, eousq; attigit; ut consanguineam Divis lineam,
Ad immortalia transferens;
sub ecliptica, ALOISIANÆ claritudinis linea,
Perpetuum lucis Choragum, principemque
nominis IESV solem, habeat.
Ad humanos iam, in magni sanguinis cælatura, vultus,
Orbis amplius non respiciet;
Si vnus hic, ALOISII sufficit;
Qui æthereis cætibus immistus; lineamenta hominum,
Beatarum mentium consortio, puritatisque similitudine;
In Angeli lucis, lineamenta transtulit.
Rursus tamen, cum in lachrymas solvimur;
Sub nube hac, dum nos cœlestis, ALOISII species effugit;
Spirantes ad huc, sæculoq; nostro propiores, Heroum vultus,
Contemplari liceat.
FRIDERICI certè GONZAGÆ is est;
In quo defigi, idem propè est; quod et virtutem ipsam intueri.
Maiorum decora, meritorum incremētis, ad summam amplitudinem,
cum auxisset;
Ducali tandem Mantuæ mithrâ, coronavit.

 Multis

Multis interdum ſæculis,
Ad Privilegium honoris, ſervantur ij;
quos in compendium anteactæ, in exemplum ſubſecuturæ ætatis,
ex interuallo aſsurgens, magnæ gloriæ prærogativa ſervat.
Centoculus ſæculi ſui Argus,
CAROLVS V. IMPERATOR,
Cùm multa, in rebus humanis; vſq; ad deſpectum earum,
imperiique abdicationem vidiſset;
In iudiciis animorum, acutiſsimè cernens;
In æſtimandis FRIDERICI GONZAGÆ meritis, totus
oculus factus;
Supereſse adhuc, inter triumphales laurearum nexus,
Ad Virtutis eius coronam, novi honoris autoramento, locum advertens;
Primum Mantuæ ducem renunciavit.
ceu arcanâ, iam tum, rerum cœleſtium diſpenſatione fieret;
Vt quò propiùs, ſereniſs: LVDOVICÆ inſtarent Natales;
eò maiores, maximi ſyderis ortum,
in Auguſta Domo ſplendores;
ad vſq; ipſa, Regiæ Maieſtatis auguria, præuenirent.
Auxit eos, quò propiùs, eò pleniùs;
tanquam ex deſtinatò, ad regalem neptis ſuæ thronum diſponeret;
LVDOVICVS GONZAGA Avus.
Theatrum illi Virtutis, Chriſtianiſſimum Galliæ regnum,
armorum, & animorum diſciplinâ florentiſſimum.
Exerciti hîc ſemper, ingentes heroum animi;
cùm non defuerit ſemper, par æſtimationi virtutis, occaſio.
Terrarum Europæ medulla hæc;
Quantum armorum gloriæ detulerit; maſcula pectorum indoles probat;
quæ, ut non vulgares animo ſpiritus, gerere videretur;
Romanam virtutem ſponte aggreſsa;
Vrbem Divinam, æternamq;, mortalé prope fecerat;
niſi orbis imperio, capitique, divinitùs ſervata,
Capitolium ſuum, ægrè alieno ſpiritu animâſset.
Sed quæ Dominam gentium,

in ipsa surgentis imperii luce, prima omnium expugnatam terruerat;
ad veram fidei lucem accedens;
Europæ gentium prima, coronatum regalis fastigii caput,
in obsequium fidei duxit;
interq; sacros, primogeniti Ecclesiæ natales; triumphales Ecclesiæ
ignes, accendit.
Ad perpetuas Victoriarum Laureas,
ex inimicis Christo gẽtibus, vocata; Lilia pacis elegit;
Vt Orbi constaret;
dilectos Ecclesiæ primogenitos, inter Lilia pasci.
Sacrum Clodovæi caput,
prima omnium, oleo Christi, cum inunxisset;
sacris exinde bellis, nunquam non accincta;
pro hæreditate Domini, contra barbarorum illuviem,
Verum primogenitæ Zelum ostendit:
Patrimonium Christi vindicans, pericula, mortesq; computavit in lucro.
immẽsa quoq; terrarũ, marisq; spatia; dum, pro vitali Palæstinæ terra,
mortem in bellis solicitat;
vel ideò sæpiùs transiit;
Vt pro gloria Crucis, etiã in summo Regum capite vinciri, capique;
dignum Christianissimo regno,
titulum, trophæumq; ostenderet.
Heroum proinde, inter prælia Domini, fœcunda;
in Orbe Christiano, quidquid selectissimum;
ad vincula magni sanguinis, cùm traxisset;
Heroicam quoque LVDOVICI GONZAGÆ indolem,
vt ex
HENRICA Niuerniæ Duce,
incomparabilem ævi nostri Heroem,
CAROLVM GONZAGAM,
Niuerniæ Ducem, Principem Mantuæ,
Serenissimæ Ludovicæ,
æternâ memoriâ dignissimum Parentem,
Orbi pareret;
fælici magnæ mentis impulsu, judicioq; induxit.

 Hic e-

Hic enimverò est,
GONZAGARVM ille Heros,
in quem, tot sæculorum, ex vtroq; sanguine decora,
virtus & fortuna cùm derivâsset;
maiori sæculum omne, virtutis exemplo, curaque absolvit.
Tantò Principum,
Sabaudiæ, Montisferrati, Ferrariensium, Bavariæ,
Mediolanensiũ, Barensiũ, Hetruriæ, Guastallæ, Rhetelli, Cliviæ,
collecto in vnum compendio, id vnum agi putasses;
vt pretiosissimus hic GONZAGARVM Vnio prodiret;
in quo pretium omne, meritumque, tanti sanguinis absolveretur.
Vnio hic,
Liliorum Galliæ fasciculo appensus,
dividi eum, scindique sectis & dissensionibus;
quem animorum, fideiq; consensus firmaverat, non permisit.
Bellicosissimis quoq; Sarmatarum Populis,
Reginam olim daturus;
Vt parem genio gentis, magnæ menti spiritum affunderet;
militarem elegit.
Pro LVDOVICO XIII. Galliarum Rege,
pectus illud, inter armorum fulmina detulit;
in quo gladii experirentur; quàm aperta fide, pro Deo, &
principe ageret;
cui nihil occultum; tectumque; in acie, Martisq; oculis primo.
intestino seditionum malo, extremè infestus;
seditiosam, cum Espernionis Duce, manum,
Patriæ visceribus eripuit.
Nunquam certè seditio,
cicutam, quam ipsa fecerat, ad mortẽ bibit severiùs;
quamcùm, ad Nivernensis Martialem occursum,
poculum suum, ad vappam vsque, lethaliter exhausit.
Gustavit quoq; Mansfeldius; exhorruitq;
cùm extremas Campaniæ oras, viginti millibus infestans,
Vrgente CAROLI virtute, fatoque;
relictis Castrorũ vestigiis; pulcherrimũ insequẽtibus,
ad triumphalem gloriam iter, turpi fuga reliquit.

quan-

quanquam id,
non sinè CAROLI, domesticæ cladis impendio;
cum in obsequio Patriæ, laboribus bellicis confectum,
carissimum filium, Ducem Rhetelli amittens;
Fortunæ regni; ut publica gaudia plena, illæsaq; esse sineret;
insigni magni sanguinis dispendio, litavit.
Quidni verò ille,
filium bono publico, in victimam offerret?
qui, seipsum, pro orbe Christiano; helluoni regnorum Turcæ,
in obsonium, magno animo obijciens;
Bellüa hæc, quâ parte, armis Christianorum, facilius pateret;
dissimulato habitu investigavit.
Dignus proinde,
qui Sacrum, Christianis Principibus, classicũ occinẽs;
Sacrum militiæ Ordinem institueret;
Ceu non alius magni Herois;
Quam qui,
Di olim VLADISLAI IV. Regum bellicosissimi,
Martialem animum, agitaret spiritus:
Vt ita digna vtroque,
CAROLO Parẽte Filia, VLADISLAO IV. Cõiunx,
inter Vtriusque,
ingentia bellorum Orientis proposita,
magnanimi pectoris,
LVDOVICA,
oriretur.

MAVSOLEI
REGINALIS
Serenissimus,
in summo Coronatæ gloriæ fastigio,
Regalium Virtutum, meritorumque,
MERIDIES.
Australem Orbis plagam, quæ respicit;

in expor-

in ex porrecta, lucis Meridianæ facie, Vmbrarũ quidem minimũ habet;
non tamen omnes effugit,
Auguſta Reginalis Mauſolei facies,
Humanum omne faſtigium, regum maieſtas ſupergreſsa,
Vnum id, commune habet; quod in communẽ mortalitatis Vmbrã,
pariter incidat:
cùmq; monitores omnes, in ſumma fortuna effugerit;
vel hac ſola monente,
ad humanæ cõditionis intelligentiã, erudiri proficereq; in ſummo poteſt.
Coronarum in auguſtis capitibus,
Diuinus quidem propè fulgor, quia ſacer eſt:
auri tamen, gemmarumque, & monilium, quibus conſtant,
origo communis,
quæ terrarum, Oceanique viſceribus eruta; vmbrarum etiam,
in ſumma luce, conſcia ſunt.
Sed ô quàm difficile!
cùm exquiſiti ſplendores, vndiq; te ambiant;
Vmbrarum in ijs veſtigia, ſuapte formidanda venari.
Id vbique paſſim agitur;
vt ad perpetuam, extinctas gentes, damnare noctem;
lucis imperantium augmento, maieſtati conſultiſsimum ſit:
ſæpiuſq; per funeſta regnorum incendia, multi ad coronatæ gloriæ
incrementum, venêre.
Maior vbique lux, imperantibus quæritur;
quis eos, ad vmbrarum mortalitatis, cogitationem vocet?
Cogitatio hæc,
in ſummo regum faſtigio, propè impoſſibilis;
ſi vulgares, eò animæ vocarentur.
Vmbrarum quippè ſuarum obliuiſci, eaſq; quàm maximè tegere,
maieſtatis intereſſe putantes;
Lacernas mortalitatis, in purpura meditari, piaculũ prope crederent.
Maſcula hæc cogitatio, imbelle pectus, non ſubintrat;
Formãturq; proinde diuinitus, magnæ illæ mentes;
quæ in ſumma luce, vmbras ſuas tam generosè circumſpiciunt;
quàm ſapienter ab ijs,
ad ſeruandam, in celſiſsimo gradu moderationem, informantur.

Cur

Cura hæc ſupremo illi,
per quem reges regnant, regum Regi præcipua;
vt ij, ad hoc lucis ſolium, tantæ claritudinis capaces, prodeant;
qui cum fonte luminis ſole,
non oriri tantum; ſed occidere quoque ſecurè, animoſeque condiſcant.
Hanc enimuerò,
inſignem, præ alijs, cælo curam debuit;
ad Auguſtam regalis faſtigij celſitudinem, electa,
SERENISSIMA LVDOVICA.
Præceſſerat illam tantus, in auito ſanguine fulgor;
Vt lucem maieſtatis, quam non ſubitò aſpexit,
ferret moderatiùs.
In Pandoram hanc, ex Diuis Maioribus,
nemo non diuinum aliquid contulit;
cum magnis imperaturam Populis, Maximus ex interuallo diſponit,
Regum, & Principum Sanguis.
Auguſtam, ſceptroque parem indolem,
iam tum agnouiſſes;
cum ſupra ſexum, ætatemq; aſſurgens, maiores pectuſculo curas agitare,
ſemperque ad ſeria niti obſeruata;
poſceret iam ſceptrum dexterâ, necdum diſciplinam egreſſa.
Felix naſcendi origine;
Sed rudimentis vitæ felicior;
ex heroicis Parentibus, omnia ad exemplum vſque didicit;
in quibus,
Aquilam GONZAGARVM Domeſticam ſecuta:
primo cælum verſus intuitu, lucis increatæ reuerentiam circumſpiciens;
in ſpeculo pietatis, aciem irretortam defixit.
Perpetuum deinceps heliotropium facta,
Vultum animi; quem ad ſolem diuinitatis, deuotis exercitijs,
nunquam non conuertit;
ipſis etiam ſereniſsimis, ſereniorem titulis,
puritate conſcientiæ, ubique circumtulit.
Rebus humanis præfici digniſsima,
cui rerum Diuinarum, antequam curas omnes intelligeret,

maxima omnium cura.
Tenacissimis certè, Orthodoxæ fidei, Sarmatiæ Populis,
non aliam destinari Reginam oportuit;
quàm quæ non alio vitã, quàm fidei spiritu animaret;
Parata in antemurali Poloniæ, Iudithas
etiam, pro fide imitari.
Humanæ oracula sapientiæ, ab hoc pectore, quis non sperâsset?
cui tanta, ad æternæ oraculum sapientiæ, conversio.
Mira docilitate animi,
Matronarum Literatissimas assecuta;
quæ populis olim responsa daret; ex sapientium hausit responsis;
Fidem anteactis sæculis faciens;
quæ, in sequiori sexu, fide maiora sapientiæ oracula, prodidêre.
Zenobiam iterum putâsses,
dum ad clauum imperij, incomparabili exemplo formatur;
doctam Ægyptum omnem, Virili animo complecti;
vt non puderet Orbem regiminis;
cui primum in se, tantumque, ex Sapientiæ dictamine, imperium.
Ab hac Pallade, clypeus gentium;
in summa fortuna, summum clementiæ decus.
Gorgonis caput excutiens, lilia in Ægidem transtulit;
vt animo, vultuq; placida; lilia pacis gentibus præferret;
quæ oleam quoque prima inuenisset.
Celsissimum tamen animum,
Maiestas sua iam tum arguebat; iturum eò,
quò mascula non nisi virtus, per immane periculorum contendit;
quò constaret;
Bellonam Marti Sarmatico destinatam,
ex animi magnitudine censeri.
VLADISLAO certè quæ nuberet;
Heroidem esse opportuit;
quæ bellicosi pectoris curas, non tam blandè leniret;
quàm ingentiũ communicatione propositorũ, etiam in parte transferret;
Thalamum illum,
tropheis gentium illustrem,
post Augustissimum CECILIÆ RENATÆ,
duodecim

duodecim Augustissimorum Imperatorum,
Filiæ sororis Neptis,
Coniugium,
sola, Augustæ mentis LVDOVICA, decebat;
cui,
ne Artemisias quidem,
post exutos classe Rhodios, Victis cicatricem gentibus, infligentes,
examussim opponeres:
Non solii tantum; sed animi quoque maiestate,
VLADISLAO Victori gentium, proximæ, suppariqué.
Huc oculos,
Pronuba Gentium expectatio; dum circumagit;
Implevit Orbis iudicium, absoluitque consensum,
Orbis iterum lætitiam, ad festa nuptialia provocans,
VLADISLAVS;
Cuius,
Venturam iterum, inter laureas Myrtum,
Terrarum Sarmatiæ, pax in concussa prævenit;
Vt
In tanto bellorum silentio,
Suam Orbis Polonus felicitatem, liberiùs cogitaret.
Sed nullum altiùs, quam Galliæ silentium;
Quæ gaudia sua iā prægustans, tantò vehementiùs eruptura, dum premit;
Animorum expectatione suspensa, siluit:
Vt nimirum,
Quā in VENCESLAO LESCZYNSKI,
Præsule tum Varmiensi,
ET
Christophoro Opalinski, Palatino Posnaniæ,
Delectis ad splendidissimam Legationem, summis Oratoribus,
Dignam VLADISLAO maiestatem stupuerat;
Æternùm non sileret.

Non aliàs certè, ſuum Lutetia Thalaſsium,
magnificentiùs inſtruxit, cecinitque ſonantiùs;
Quàm cùm,
In Victorioſis VLADISLAI, & LVDOVICÆ nominibus,
Novum Orbi inter Hymeneos cecinit tryumphum:
Quem,
Vicinæ quoque gentes, proſecutæ;
Feſtivo iterum VLADISLAVM occurſu,
Per cultiſsimas populorum oras;
Quas laureatus olim, Victor Otthomannicus inviſerat;
Nuptialibus LVDOVICÆ SPONSÆ, coronatum Lilijs,
deduxêre.
Amicum illud Septemtrioni noſtro ſæculum;
Cum lilijs totum effloruiſſet; maſculam tamen gentis indolem;
Non emollijt; ſed coronavit;
Quia
L V D O V I C A,
Bellicoſis gentibus, in REGINAM data;
Non Floralia, aut Corollas; ſed victrices Coronas, trophæaque,
Ex voto VLADISLAI, menteq; agitans,
Dignum Sarmatiæ Sceptro animum, genioque oſtendit.
Imbelle aliquid,
Choroſque, & Nympharum Lenocinia arguens,
Inter bellicoſos, VLADISLAI Coniugis ſpiritus,
Verè Heroinam cogitare puduit,
Achillisq; ſui paludamentũ; quàm purpuram libentius ſpectans;
Nova Lacænarum gloriæ, orbi exempla reduxit.
Portiam quoque æmulata,
non exhorruit ferrum; quod gloriam acuit;
ſed in ſuperbas Orientis Ceruices diſtrictum, terſumque;
tam animosè conſpexit, ad rem Mavortiam;
quàm ne Cryſtallinum quidem ſpeculum, ab alijs cernitur ad formam.
Fortunatiſsimarũ Divi VLADISLAI curarum Particeps;
hoc vnum, in ſumma Regni felicitate, deſideravit;
quod cum ſolo terrore, bellicoſiſsimi Mariti, omnia componerentur;

In pla-

In placido, magnæ mentis, nulla occasio;
Immortalia decora concederet vltro; non ex arduo formaret.
Sed, Malaciam hanc Poloniæ,
Atlantis Sarmatici, mortali casu abruptam;
Immensa bellorum tempestas, cùm excepisset;
Inuenit sanè,
L V D O V I C A M,
Serenissimo IOANNI CASIMIRO,
Ex voto publico nuptam;
Cui,
Cum fortissimo Regum, ea curarum series venit;
quæ utramque paginam impleret.
Ita profectò,
Orbis scæna vertitur; sed non evertit;
Nisi in lubrico hærentes, fortunæque confisos.
Maiestati quidem felicitas congrua;
Sed virtuti interdum adversitas oportuna.
Irasci Polonis fortuna poterat;
Sed theatrum gloriæ, claudere non poterat;
Dum in solio Regni,
IAGIELLONICVS, GONZAGARVMq; Sanguis,
Magnus vterquè fortunæ Victor, gloriæ fabricator consedit.
Curarum quippè portenta, molemque,
Ab Atlante suo, LVDOVICA ferre, cum didicisset;
Vt pro omnibus solicita,
Curis etiam privatis, pectus non divideret;
Dimidium Cordis, pectorisque;
Regiam sobolem, terris ereptam, cœlo præmisit.
Ite nunc,
Feroces animæ, gentiumque furores,
In viscera Patriæ sæuientes.
Quid miramini? renasci toties, quam laniastis, Poloniam!
Rebelli, Sacrilegaquè manu, toties interemptam;
Maternis Patriam visceribus, quæ genuit,
Ecce
PATRIÆ MATER.

MAVSOLEI
REGINALIS,
Invictus, inter adversa fortunæ, temporumque,
Hæroicæ virtutis,
SEPTEMTRIO.
Sæuum hoc Marmor est;
Quod in Aquilonis facie riget;
Solisq; cùm effugiat aspectum; Posthumam etiã, vix non effugit lucem.
Plaga hæc mundi,
vel ipso nomine austera, rigidaque;
Si quos, in Mausoleo, Characteres ducit; sanguinis propè signacula sunt.
Legat tamen se ipsum, expendatque,
Si non Orbis totus;
Sarmaticus certè in hoc Septemtrione, Septemtrio:
Intelliget sanè,
Eâ hîc incidi, mandariq; sæculis omnibus;
Quæ si exciderent; ingratitudinem sæculi nostri, facile proscindãt.
Res hæc qnidem ingrata, fortunæ pupulis;
Quorum animos leviùs; quàm Cythereæ Cyncinnos tractes;
Ne discriminatos, vel vnicus auræ sibillus rapiat, confundatque.
Frustra hos ad ardua provoces;
Quorum vestigia, in plano quoque cespitant;
In Olympum propè, opinione sua eluctati;
Si Exquilinos colles, conscenderint.
Apage hæc, ignavarum mentium pulvinaria;
In quibus validi somno, cætera imbelles,
Endymionum abnepotes stertunt.
Vivere hos, æquè credideris, moverique; vt spongias;
quæ nisi scopulis suis hærerent;
iam invita hæsissent.
Vita quippè, labor, & vigilia est;
Quam diuturnæ felicitatis lethargo sopitam, adversa excitant.
Hæc qui, in vita formidat; sensum vitæ amisit.
Non omnium quippè est,
Fortunam ad manum habere;
Fortium tamen, habere in manu fortunam.

Hoc e-

Hoc egit,
Augusta manus, invictaque,
Fatalium necessitatum, invictæ in ludo,
L V D O V I C Æ.
Felicitatem Poloniæ, Moderatione animi, tenuit;
infelicitatem, ad virtutis experimentum, Coronamq; direxit;
felix vtrobique, non temporum sorte; sed vsu.
Ferreum Patriæ sæculum, aureâ mente sustinens;
ad scoriam vsq; virtute probationis excoctum, propè aliud prodire;
quin & aureum omnino,
prodigâ in publicum manu, verèque aureâ, fecerat.
Sudum illud D. VLADISLAI, serenumque,
perpetuâ deinceps, sævâque nube obductum;
non aliter excepit; quam, si non desijsset:
in medijs turbinibus, ipsa sibi Helice, ipsa portus.
Lachrymas hîc ego publicas, vulneraq; non irrito:
libet tamen provocare sæcula;
si quid simile in ijs, ex quacunque bellorum nocte:
quandoquidem,
communis Gentium vespillo Mars,
imperiorum excidia, cùm non illibenter videat;
suam hic ipse, Libitinariam exhorruit.
Vicerit tamen vetustas, mali publici exemplo,
ipsa etiam, desperatæ in Polonia, salutis publicæ, exempla;
animorum certè constantiam, roburq;, ægrè in certamen commiserit;
cùm vel ipsa, ad palmam omnem sufficiat,
omni Heroum ausu palmario maior,
SFRFNISSIMA LVDOVICA.
Panthæas hîc ego non moror, & quidquid in Dardanide summum;
Amazonum quoque miracula, ætatis suæ fides habeat;
Si hæc altiùs, Græcorum penna, quam processerant, extullit;
ducta ex scribentium impulsu, felicitatis hæc portio;
non ideò omnem virtutis Ideam absolvit.
Illa, cum antiquioris sæculi prærogatiua, cortinâ quoq; & recessum,
ac Oraculi fidem habent
Heroica,
SERENISSIMÆ LVDOVICÆ,
Virtus & Constantia;
in aprico Orbis posita; hoc vnunm habent;

quod ceù præſentis ſæculi iudicium, in ſtuporem egerunt;
ita ſubſequentis fidem, rerum magnitudine, ægrè convincant.

Sic nimirum,

Hæroina incomparabilis, Maieſtatè ſuâ eminentior,
fideque maior, ut ad poſteros veniat;
ex fide præſentium ſæculorum, & honore eſt.
Quantus Poſterorum ſtupor!
Quàm profunda animorum meditatio!
Orbem Polonum,
Poſt D. VLADISLAI funera, nõ depoſitum; ſed cadentem;
In ipſo rerum præcipitio;
In veniſse Reginalem LVDOVICÆ dexteram;
Quæ ſiſteret, lævaretque;
Pondus hoc,
Immenſo fragore, caſuque, Vaſtiſsima terrarum concutiens;
Vnam hanc mentem, nec terruit, nec concuſsit;
A qua,
Regali avulso capite, vitales cordis ſpiritus, novo Vitæ ordine, ſervati;
Vltimum palpitantis Regni Spiritum, animarunt:
Quando,
Collectâ è flavis Vndis, Korſunoq; nubē ſangvineâ;
Si non totam diſcuſsit; certè ſuſtinuit;
Ne omnem Poloniæ ſolem, eriperet.
In tanta Caligine, ſi quis bonæ ſpei radius;
Ab hoc omnino ſolæ, ſolioque;
Cum non conſilii tantum, ſummequè prudentiæ iubar;
Sed aureus quoque nervus belli, identidem radiaret.
Hoc Vltimum morituris elixir, affundens;
Pretioſis, Vitæ momenta, prorogavit fomentis;
Donec auguſtum Caput;
SERENISSIMI IOANNIS CASIMIRI,
Regali diademate Coronatum, novam Poloniæ Vitam, aſpiraret,
Salvete iam, redivivi Mavortij Spiritus!
Intercluſo Vitæ Spiritu, quæ vos implorat patria,
In fortiſsimis, ad Zbaraz Heroibus, ecce animam agit.
Salus hæc,
Si Maieſtatis non niſi diſcrimine conſtiterit;

Ecquid, bellator, vtriusquè Maiestatis spiritus, cogitabit?
Agite Magni Principes;
In voraginem hanc, vtriusq; vitâ opus est;
Quam ad Zborouum præcipitem, ipsa etiam fatorum præceps necessitas, exhorruit;
Grandem, vtriusq; Principis, vno in capite victimam, reuerita.
Nimirùm,
Animo præsens vbiquè,
SERENISSIMA LVDOVICA,
Non divisit curas; quibus interesse non poterat;
Sed in pectus, quod dilexerat, transiens;
Martem vbique, nova Poloniæ Amazon, animavit.
Nunquam tamen,
Vitali, Magnanimi pectoris spiraculo maior,
Ingentium pro bono publico curarum, anhelitu;
Amorem, curasque Patriæ efficaciùs; quàm in turbine Suetico, spiravit.
Putabat,
Durus ille, vaferque, Ithacæ suæ cultor;
Ilium hoc, quando vis non proficit; fictâ Palladis hostiâ, casurum.
Sed Danaos, iam & dona ferentes,
Vindex à tergo Nemesis, sævaque ex alieno victima, opressit.
Iam etiam, qui Aiaces venerant;
Parides in Orbis scenam prodire;
Aureoq; Poloniæ pomo, non *pulchriori*; sed *plus offerenti detur*, Inscribere non puduit.
In hoc macello sanguinis,
Innoxia gentium Capita licitantes; ipsa etiam sævitia execrata,
Sensim deseruit;
Venalesque animas, dum turmatim concidunt;
Ipso etiam, Charontis portorio excussit.
Sed quis,
Ludum hunc, pertuso fritillo, veteranos aleatores;
Cum ijs hæresis vbique; pseudo politiaque arridet,
Frustrà lusisse coëgit?
Magnum prudentiæ oraculum, invicta constantiæ basis,
LVDOVICA.
Ab hâc inermi,
armati exercitus, firmatæ Provinciæ, delecta consilijs pectora;
suis in laqueis deprehensæ, suffocatæq; hostium artes;
Arctonq; suam, vbiq; secutum, vi animorum magneticâ ferrum.

Cessit

Cesit quidem vrgentibus Poloniæ fatis;
sed animum fortunæ, non concesit:
ostentumque illud, brevi evanidum, dum accenditur;
fatua stupentium lumina, occupari in eo permisit;
donec tandem, in stellam desineret cadentem.
Dubiam Poloniæ lucem,
ab Orientali Rusiâ; rutilans cum sole suo aurora,
dum serenat;
tenebrarum potestatem, ne Varsauiæ quidem securam;
ad suos, vnde venerat, Lapponicarum noctium Andabatas, fugasset;
Nisi id,
Divæ potiùs Claromontanæ VIRGINIS auspicijs, servatum;
Divinum, ex hoc tripode, expectâsset oraculum.
Hîc tandem Augusta Poloniæ Phæbas,
ex libro vitæ, fatidicis pectus impletum responsis,
saluti publicæ aperuit;
& quem regali manu, in munimentis Claromontanis,
tractavit sarculum;
ad vasta, per Poloniam, hostium funera, præparavit, bustaque.
Fulmen illud sanè trisulcum,
adversus sævos Gigantes fuerat;
à quo,
pars secti, divisique; pars in profluentem sanguinis demersi;
Sueco, Transilvani Cosacicique Martis,
æternum in Polonia scelus, expiârunt.
Ambiat ergò iam solaris,
Lucidum Claromontanæ VIRGINIS propugnaculū Corona;
quādo coronatæ Principum manus, dum magnæ Virgini operariæ fiunt;
triumphalem Poloniæ, laborant in Corona n.
Pugnate sic Orbis Principes, vinciteque;
non aliter quippè, nisi ad calcaneum Virginis, demissâ
maiestate, vincitur;
qui contra montem Domini, sedere in monte testamenti, anhelauit.
Felices,
qui ad hunc thronum, Deo, & Agno, mittentes Coronas suas;
decusserunt alienas.
I nunc,
& ergastula tua, quibus cingeris, famelice Leo cogita;
obsonium tibi Prusicum, credo, non ad palatum;
Cor enim, & caput Regis, in manu Dei est,
sed ne alibi quoque, offa tibi sapidior.
quando vulturum etiam cupedias, consectaris.

Intel-

Intellige;
Viri Sarmatæ sumus,
quantùmvis inclementia Fatorum, iustè perculsi;
quantùm animi, etiam deploratis, supersit;
vel ab hoc, Reginali animo, disce.
Castra, acies, vulnera, mortes,
manubiæ, trophæa, triumphi,
sub hoc oculo, sub hac mente.
Coronas eius, heröumque decora, ne computes;
Quando obsidionales etiam Varsaviæ, Cracoviæ, Torunij,
non sine LVDOVICA coronæ.
Quin & arbitrio pacis,
Veterem, Matronarum Galliæ prærogatiuam secuta;
dum Iani ostia, ad sinum Balticum clauduntur;
Disceptationi fæderum, animo tam sapiens interfuit;
quàm superbam, triumphatæ Moscuæ, cervicem;
in trophæis Varsaviensibus,
Maiestatis plena, spectavit.
Nunquam non animo, ad omnem fortunam composita.
Cui,
nec in Patriæ quidem interno æstu,
littus inter scopulos, obiecit.
Existimâsses,
Cydno illam ferri, cum Archipelagus navigat:
Delphinoque cum Arione securam, inter balenas, Ceteque portari,
tam vbique ex composito mentis statu,
exteriùs quoque placida, & à turbido procul:
Vt,
Sæculis omnibus, vel sola sufficiat;
Prudens, Constans, Invicta;
animo, Virtute, proposito;
Ex qua,
Luctator augustarum mentium Spiritus,
quoties Orbis iudicia provocat;
magnam, ex conscientia recti, *securitatem*,
consummatæ Virtutis magisterio,
Condiscat.

MAVSOLEI
REGINALIS,
Mortalis, cum ſpe immortalis gloriæ,
OCCASVS.
Vltimus hic rerum ſcopus; multarum etiam ſcopulus eſt;
In quem,
Non Mauſolea tantum deſinunt; ſed arcus quoque, & theatra,
Orbis plauſum, pompamque;
Vna hæc; ſed feralis, Parcarum comploſio excipit;
in quam, præcipitantur multi, etiam antequam in ſcenam prodîſſent.
Dura lex mortalibus, occumbere;
immortalitati tamen, non alias conſultum;
Quæ damnũ hoc, in lucro cõputans; longiores in occaſu radios mittit.
Vitæ quippè novacula, Mors;
quâ Vivendi ſpatium incidit; immenſum gloriæ filum, orditur acie;
cui, vel hoc nomine, gratiæ agendæ ſunt;
quòd cùm non parcit tempori, provideat æternitati.
O Divinam hanc mortalibus mentem!
quæ cum Aras, ſuffitusque, & pulvinaria Deorum neſciat;
Divos tamen efficit.
Divina hæc mens, auguſtiſsimo pectori,
Sereniſsimæ LVDOVICÆ,
Vel congenita ex magnis Heroibus; vel diuturno Virtutum magiſte-
rio, impreſsa;
in hoc uno, humana omnia abſolvit, ſuperavitque momento.
Orbem Vitæ ipſius, ſi non ad omnes plagas revoluis;
vel Occaſum hunc, tantillo intuitu, reſpice;
In expedita Vitæ iudicia; unum hoc, ænigma mortis, facilè expediet.
Quid hæſitas?
Vita LVDOVICÆ,
In oculis Dei, purioriſquè conſcientiæ, reverenter habita;
ſuum in occaſu exemplum, non erubeſcit.
Diecula vitæ eius, quam cùm morte ſemper dividebat;
Serotinâ luce, non eſt confuſa;
quia crepuſculum hoc, feriò, tempeſtiuèquè meditatum;
non ingruit illi; ſed advenit.
Ex Auguſto ſanguine nata,

Nubem

Nubem mortalitatis, maximis fulgoribus eripi ſolitam,
ad animi ſecretum tranſtulit.
Hoc illi, inter æſtus ſæculi, refrigerium;
hæc inter delicias, palæſtra; hi, inter dubia, Delphi.
acrem in ſe cenſuram dedit, cognitioni propriæ;
duxitquè ſe ipſam, ad tribunal internum quotidie; quod in morte,
non horreſceret.
Ex ſolio, ad ſolitudinem ſuſpirans;
ut ſe ſolam, qualis à morte futura eſset, liberiùs cogitaret;
Aſceterii Saleſiani ſolitudinem, Regali palatio coniunxit.
Reſpirium hîc animi, Diviniquè amoris flabellum;
Eâdem vi, quâ curas ſæculi difflavit, accendit Divinas.
Parthenius ſanè, Liliorum Galliæ ſpiritus;
Vitæ potiſsimam partem, inter lilia puritatis,
Vel hîc, vel in Carmelo, cum tranſegiſset;
à rerum humanarum affectione, lilio nudior evaſit:
Qui tamen,
Nuditatem alienam, miſeriæquè humanæ opprobrium,
Nunquam in Vita ſuſtinuit:
Famis, Morborum, peſtis, Calamitatisquè publicæ iniurias,
Ita in aliis Sentiens;
Vt Viſcera omnium, in viſceribus charitatis, cum foveret;
Communis omnium Mater, ex Viſceribus Miſericordiæ noſceretur.
è ruderibus ſuis, cum renaſcitur;
Ab uberibus beneficentiæ manuum eius, lactens iterũ Polonia pepẽdit;
Novo quidem rerum Ordine;
Cum pectus iam, & viſcera, Matris Patriæ,
Inſaciabiles, boni publici curæ, exhauſiſſent.
Animam Regni, toties languentem,
Cum incomparabili Virtute, patientiâ, magnitudine animi, Conſtãtiâ,
Obiecto etiam, in mille diſcrimina ſpiritu, roboraſset;
ægrè, imò in contraria, ſpirantem, advertens;
Vltimo Vitæ ſpiraculo, animare inſtituit:
Non alias, felicius expiratura;
Quam ſi, in ipſo, cui vitam dederat, Vitali corde patriæ,
Vivere deſijſset.
Votum hoc, auguſti pectoris Maximum;
Orbis terrarum iudicia, cum fatigaſset;
Illi ſoli ſervatum eſt; cui ſoli, cor omne patet.
Lucidum Sanè,
In Sereniſsima LVDOVICA, diaphanumque;
Per quod, tantus in vultu animæ decor;

 Sacra-

Sacramentis Cœlestibus, toties in vita procuratus,
Signanter in morte refulsit.
Ex hoc grandi negotio, Orbis iudicium penset;
quàm iis, etiam in arcto, expedita omnia;
Quos negotium vitæ, securitate conscientiæ, in expedito positum;
Perplexo rerum exitu, non coarctat.

Decessit proinde LVDOVICA,
Tam Pia, tam Augusta, tam DEO suo fidens;
Quàm si, vincula corporis, vt solveret ipsa, in manu habuisset.
Immortalem illi Vitam,
Non hæc prima dies; quæ mortalem clausit, aperuit:
Quæ,
Magnitudine animi, in posterorum memoriam, semper erecta;
Perpetuâ æternorum Cogitatione,
Vixerat iam, ceù in confinio Vitæ immortalis.
Posthumus honos, hic ei maximus;
Materna eius, in Patriam, Viscera, sentire aliquando, cogitareque;
Quæ si, oculos hominum, effugêre hactenus;
Oculis Dei revelata,
Scrutatrix illa mentium, vis æterna expendit, Coronavitque,
Ad Lydium hunc lapidem, iam vocata;
In ipso Vitæ fonte, in quo Vixerat, recte factorum Conscia;
Vivet æternùm,
Galliæ suæ decus, GONZAGARVM gloria, Reginarũ Ocellus,
HEROINARVM Compendium,
Titulis, & Coronis omnibus altior; orbis de se iudicio,
MAIOR in dies,
LVDOVICA.

Sumptibus ex fundatione perpetuâ,
MAGNIFICI DOMINI,
D. BARTHOLOMÆI
NOWODWORSKI,
Equitis Melitensis,
S. R. M. Aulici, & Militiæ Præfecti, Commendatoris Posnaniensis.